

Appendix. — Europa Nro. 30.

## Regnum Mortuorum.

Dialogi Politici Mortuorum.

In Elysiis 29. Martii 1803.

Sicut Romani bellum secundum Punicum olim, sic nos quoque nunc bellum secundum Anglicanum pugnabimus. Num et tertium? Haerere Penicillae fidei Angli non superest, nisi bello secundo eventum secundum expugnare.

Colloquentes Umbrae.

Jos. Kerguelen-Tremarec — Joan Johnstone.

*Kerguelen*: Hic sumus boni amici, chare Johnstone, illic superius quidem secus est.

*Johnstone*. Quae causae impediunt pacem inter Galliam et Angliam?

*Kerguelen*: Ad haec tibi respondeo cum auctore novi Leviathani; systema nempe Angliae mutui levandi esse aeternum bellorum fontem, in quo Anglia jam adeo procul processit, ut nec subsistere amplius, minus regredi possit. Cum annis crescunt expensae, et cum his deficit; ad quod nova debita necessaria; quae gremium mercatorum gubernio non secus praestare potest, quam si exclusivum orbis commercium, quod per bella, et expilando naves neutrales ad se rapuit, manuteneat; et sic coacta est Anglia ad bellum cum omnibus statibus maritimis —

*Johnstone*: Singulares sane ideae! *Kerguelen*: Si Anglia per pacem durabilem potentis maritimis tempus semet colligendi daret (ad quod Gallia haud longo tempore indigeret) tunc actum esset de monopolio commercii, cum hoc de capacitate mercatorum pecunias mutuandi, et tandem de existentia totius machinae anglicanae; cum ergo mutui contractionem Parlamentum belli duntaxat tempore concedat, et mercatores sub hac solum conditione praestare possint, cum bellum totius orbis commercium eis procurret; hinc Anglia volens bellum gerere debet, donec aut praepotentem suum Rivalem, aut semet ipsam praecipitet, quod posterius per pacem firmam, atque durabilem adhuc citius sequeretur, quae fallimentorum omnium, quae

unquam exstiterant, maximum adferret, quod merito fallimentum totius orbis dici posset.

*Johnstone:* Et Gallia? *Kerguelon:* Etiam habet causam, non secus pacem ineundi, quam sub garantia durabilitatis, non autem, quae ab hora 11. ut dici amat, ad meridiem durat. Hoc praevidet Gallia, quia novit necessitatem aeterni belli apud Angliam. Cum ergo Anglia in hoc statu praecariam duntaxat pacem inire cuperet, ut prima data, vel quaesita occasione naves gallicas, ingentia, quae mari insatant, capitalia, uno ictu rapere possit; Quis Galliae in malam verterit partem, quod talem pacem inire nolit? Quamdiu duravit pax Ambianensis, quae commercio gallicano cruentissimum infixit vulnus, cum erumpente ex improvise hostilitate, ultra 100 millionum merces Anglia cum navibus occupaverit, ac praeterea etiam expeditio ad S. Dominicum adhaeserit? Pax sine certa garantia foret bellum sine commercio; quis enim naves, mercesque suas, et capitalia perfidiae concrederet anglicanae?

*Johnstone:* Ex hoc ergo sequitur, non Angliam, nec Galliam pacem facere posse. Est ergo pugna ad mortem, in qua unus aut alter cadere debet! Ergo sumus ibi, ubi fuimus ante 18. Annos. Donec ergo mors, aut vita veniat, volumus expectare, et attentionem nostram ad res litterarias convertere.

#### *Conclusio.*

Decreti Caesarei de 17. Martii circa Universitatis regulationem. Commembra Universitatis vovent observationem Statutorum, et obedientiam Magno Magistro in rebus Officii, et Educationis. — Promittunt, citra indultum Magni Magistri stationem suam non deserere. — Qui citra has formalitates de statione recedit, ex cathalogo Universitatis expungitur, paenaeque statutae subest. — Nullum seu publicum, seu privatum Officium, cui solutio adnexa est, citra indultum Magni Magistri suscipere possunt. — Tenentur Magistrum, et officiales ejus de omnibus informare, quae doctrinae, et principii educationis contraria alicubi observaverint. — Ex catalogo deletus, inhabilis est ad quodvis munus publicum.

Universitas haec subjacet Administrationi M. Magistri, quem Imperator nominare, et dimittere potest. — Magnus hic Magister denominat Administratores, ac Professores penes Collegia et Lycea; Ille nominat Alumnos quoque pro his Lyceis. Illis, qui gradum Academicum habent, et docere voluerint, potest facultatem ad id concedere. — Hic Magnus Magister potest quoque Professores, et Praepositos Scholarum secundariorum per Communitatem sustentatarum non secus, ac Officiales, et Professores Lyceorum ad

votum trium Consilii Membrorum transferre. Habet potestatem Membra Universitatis ad Arestum, Censuram, et translationem ex uno loco ad alium, denique ad suspensionem ab Officio damnandi. — Gradus, tituli, Cathedrae, prout cuncta Officia Universitatis, Commensbris hujus Corporis, medio diplomatum per M. Magistrum extralatorum, et sigillo Universitatis is munitorum, conferuntur. — Dat variis scholis Ordinationes, Disciplinam concernentes, quae per Consilium Universitatis approbantur; In hoc agit hic Praesidem, deligitque omnia membra ejusdem. Illi Rationes de proventibus, et expensis diversarum Institutionum reddendae. — Sigillum Universitatis est Aquila, rannum olivae gerens.

Hunc sequuntur Cancellarius, et Thesaurarius, qui aequae ab Imperatore nominantur, ac deponuntur. — Cancellarius est Conservator Archivi, et Sigilli Universitatis; ille omnia per M. Magistrum, et Consilium Universitatis extradata Acta subscribit, prout et omnia officiorum diplomata. — Thesaurarius invigilat peculiariter proventibus, et erogationibus; curat; ut omnes in Imperio pro commodo Universitatis levatae competentiae debito tempore thesauro inferantur, ordinat solutionem salariorum, et pensionum; invigilat rationibus Lyceorum, et super eis relationem M. Magistro, et Consilio Universitatis praestat.

Consilium Universitatis constat 30 membris, quorum sex ex Inspectoribus, et quatuor ex Rectoribus nominantur, qui sunt praepetui Consiliarii, Reliqui 20, ordinarii Consiliarii, ex Inspectoribus, Decanis, ac Provisoribus Lyceorum accipiuntur; — Consilium istud, generalem Secretarium habens, convenit per hebdomadam minimum bis, et in 5. dividitur Sectiones, quarum quaevis aliud objectum tractat. Magnus Magister proponit huic consilio omnia projecta, ordinationes et statuta discutienda, quae pro Scholis instituuntur. Cunctae quaestiones ad Politicam, rationes, communem Administrationem Facultatum, Lyceorum et Collegiorum spectantes, per Consilium deciduntur, quod et quaerelas Praepositorum, et reclamaciones subordinatorum decedit.

In praecipuo cujuslibet Academiae loco datur Consilium 10 membrorum, quod M. Magister nominat, in quo Rectores Praesides agunt. Consilium istud convenit minimum bis per mensem, occupaturque Objecto Scholarum in suo Districtu sitarum.

M. Magister nominat minimum 20, et summum 30 generales Inspectores, qui ad mandatum ejus Facultates, Lycea, et Collegia visitant. Ad quamlibet Academiam datur adhuc unus, vel duo peculiare Inspectores, qui ad mandatum Rectoris Scholas in Districtu ejusdem sitas, ac praesertim Col-

legia, pensiones, et Scholas primarias curant. Hi pro commodo Rectorum a M. Magistro nominantur.

Quaevis Academia subest moderationi unius Rectoris, quem M. Magister ad 5 Annos nominat. Rectores edunt diplomata, et universim injungitur eis cura Facultatum, Lyceorum et Collegiorum.

Pro futuro, et post totalem Organisationem Universitatis, Provisores, et Censores Lyceorum, prout et Praepositi ac Professores penes Collegia, atque studiorum Magistri coelibes esse, et in communione vivere debent. Professores Lyceorum possunt esse uxorati, aut casu in hoc extra Lycea habitare debent. — Nemini licet absque facultate M. Magistri Institutionem, aut Pensionatum fundare. — Ad quamvis Academiã in Collegiis et Lyceis erigentur Classes normales, ad formandos pro Scholis primariis Professores.

Parsis erigetur normale pensionatum ad 300 juvenes, pro Institutionibus in Lyceis et Collegiis formandos. Juvenes hi ex optimis Alumnis legentur. Ut quis in nationale hoc pensionatum suscipi queat, debet se obligare, 10. Annis penes Institutum studiorum manere velle.

Studiorum Magistri in Lyceis, et Docentes in Collegiis possunt Cathedram professoralem in Lyceis obtinere; quorum numerus unam tertiam Professorum superare non potest. Quivis horum obtinet annum Salarium 400 Franc. donec Professoratum in aliquo Lyceo obtineat; M. Magister distribuit illos in varias Academias, ad infirmos Professores supplendos.

Cuncti Officiales, et penes rem litterariam adpliciti (Docentibus in Collegiis, et Magistris Studiorum exceptis) possunt post continuum 30 annorum servitium pensionem obtinere.

Assignatur eis propria habitatio, in qua ad rationes, et expensas Universitatis sustentabuntur. Si Adpliciti hi Universitatis durante Officio ob statum valetudinarium inhabiles evedant, tunc poterunt adhuc ante 30 simum Officii annum in hanc Domum assumi. — Connembra, priorum Institutionum, quae 60 aetatis annum superant, poterunt hanc domum ingredi, aut pensionem accipere.

Praeter accidentales proventus assignantur huic Universitati adhuc 400000 Franc. proventus, qui magno libro inscripti sunt. Huic Universitati, et Magno Magistro hujus defertur exclusive tota educationis, institutionisque publicae cura in toto Imperio. Conentur itaque hi Institutionem in omnibus partibus perficere, et comparisonem Classicorum operum favorabilem reddere, ac in eo praesertim adlaborant, ut Institutio litterarum cum scientiis pari passu procedat, neque unquam spiritus systematis progressionem harum impediatur.